

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**D. Gebh. Theodori Meieri Theologi & Prof. in Academia  
Julia Antichiliasmus Absolutissimus**

**Meier, Gebhard Theodor**

**Helmstadii, 1696**

**§. XII.**

**urn:nbn:de:bsz:31-105465**

§. XI. Edictis igitur satis manifestum esse puto,  
quod juxta Chiliaistarum etiam hypotheses, post resur-  
rectionem piorum in adventu Christi, non alia relin-  
quatur piis resurrectio, quo ita firmato sit Assertio sexta:  
Cum illa resurrectione piorum in adventu Chri-  
sti futurâ, conjuncta erit etiam resurrectio im-  
piorum, eaq; simul eodem momento fiet. Pro-  
batur hoc ex Joh. V.28. *Venit hora, in qua omnes qui in  
sepulcbris sunt, audient vocem ipsius, (Filii hominis)  
& exibunt, qui bona fecerunt, ad resurrectionem vite;  
qui vero mala fecerunt, ad resurrectionem judicii.* Unde  
tale formo argumentum:

In quacunq; resurrectione pii resurgent, illa inci-  
dit in adventum Christi.

In resurrectione autem de quâ agitur *Joh. V.28.* pii  
etiam resurgent; Ergo

Resurrectio hæc *Joh. V.28.* incidit in adventum  
Christi, cumq; in hac etiam impiorum resuscitandi, per-  
tinebit quoq; resurrectio in adventu Christi ad impios.

Major pendet ex Conclusione quintâ, ubi demon-  
stratum est, quod post resurrectionem in adventu Chri-  
sti instituendam, non detur alia piorum resurrectio;  
ante illum autem adventum multo minus ponit poterit  
talis resurrectio de quâ *Joh. V.28.* agitur, cum nec ipsi  
Chiliaistaræ hoc admissuri sint, ut adeo resurrectio omnis  
futura, quæ pii tribuitur, collocanda sit in tempus fu-  
turi adventus Christi.

Minor apertissime in textu l.c. habetur, itaque con-  
clusio negari haud poterit.

§. XII. Atque hic quoque ex parte consentientes  
nobis videri volunt Chiliaistaræ, statuant enim præcipios  
etiam impiorum, quos appellant hædos mundi, tem-  
pore

pore adventus Christi, resurrecturos esse, ut in sequentibus ostendetur. Sed non amplius hic agnoscendus est illorum consensus, cum diversis temporibus statuant resurrecturos esse pios ac impios, & impios quidem LXX. dies post piorum resurrectionem, ut habet Animadv. §.19. Verba sunt: *licet crudeles illi & sanguinolenti tyranni post factam sanctorum resurrectionem, LXX. circiter dies post, maledicta corpora sua accipiunt, & in lacum ardente cum bestiâ & Pseudoprophétaruant.* At simul pios cum impiis suscitatum iri aper-te ex eo patet, quod Salvator apud Johannem l. c., unicam horam determinet resurrectioni & piorum & impiorum: eadem enim hora est, in qua illi qui ad vitam resurgunt, & illi qui resurgunt ad judicium vocem Christi suscitantis audient. Notandum igitur, quod Scriptura quidem de piorum resurrectione haud raro seorsim sermonem instituat, nullâ mentione impiorum resurgentium facta, ubi tamen non sequetur quod soli pii aliquam resurrectionem sibi propriam habituri sint, cum unius inclusio non sit alterius exclusio, qua de re plura in sequentibus.

§. XIII. Assertio septima: Resurrectio mortuorum in adventu Christi futura, erit universalis. Probatur hoc tali argumento:

**R**esurrectio de quâ Salvator loquitur *Job.V.28.* est universalis;

**R**esurrectio in adventu Christi futura est illa ipsa resurrectio: Ergo

**R**esurrectio in adventu Christi futura est universalis. Major ex ipso textu evidenter patet, dicit enim Christus πάντες ἐν τοῖς μνημεοῖς, ut indicetur, omnes qui illo tempore in sepulchris adhuc quiescent, tum resuscitandos esse. Nec obstat, quod in loco parallelo *Dan. XII. 2.* pro